IX.

Haec igitur maxime causa fuit. quur relicto aurium iudicio pythagoras ad regularum momenta (examina)
migrauerit. qui nullis humanis auribus credens. quae partim natura. partim etiam extrinsecus
accidentibus permutantur. partim ipsis uariantur aetatibus. nullis etiam deditus instrumentis.
penes quae saepe multa uarietas atque inconstantia nasceretur. dum nunc quidem si neruos uelis aspi
cere. uel (aer) humidior pulsus obtunderet. uel siccior (commemorat) excitaret. uel magnitudo corde grauiorem
redderet sonum. uel acumen subtilior (magnitudo corde) tenuaret. Talium quodam modo statum prioris constantiae
permutaret. et cum idem esset in ceteris instrumentis. omnia haec inconsulta minimeque
estimans fidei. diuque aestuans inquirebat qua nam ratione firmiter et constanter consonantiarum
momenta perdisceret. Cum interea diuino quodam nutu praeteriens fabrorum officinas pulsos malleos
exaudit. ex diuersis sonis unam quodammodo concinentiam personare. Ita igitur ad id quod diu
inquirebat attonitus accessit ad opus. diuque considerans. arbitratus est. diuersitatem sonorum
ferientium uires efficere. atque ut id apertius colliqueret. mutare inter se malleos imperauit.
Sed sonorum proprietas. non in hominum lacertis herebat. sed mutatos malleos comitabatur.
Ubi id igitur animaduertit. malleorum pondus examinat. Et cum quinque essent forte mallei.
dupli reperti sunt pondere. qui sibi secundum diapason consonantiam respondebant.
Eundem etiam qui duplus esset alio. sesquitertium alterius comprachendit. ad quem scilicet
diatessaron sonabat. ad alium uero quendam. qui (alius duplo) eidem diapente (in) consonantia iungebatur.
Eundem superioris duplum repperit esse sesqualterum. Duo uero hi ad quos superior duplex. sesqui
tertius. et sesqualter esse probatus est. ad se inuicem. sesquioctauam proportionem perpensi sunt custodire.
Quintus uero est reiectus. qui cunctis erat inconsonans. Cum igitur ante pythagoram consonan
tiae musicae. partim diapason. partim diapente. partim diatessaron. quae est consonan
tia minima uocarentur. primus pythagoras hoc modo repperit. qua proportione sibimet
haec sonorum concordia iungeretur. Et ut sit clarius quod dictum est. Sint uerbi gratia malle
orum quattuor pondera. quae subter scriptis numeris contineantur. XII. VIIII. VIII. VI.
Hi igitur mallei. qui XII. et VI. ponderibus uergebant diapason. in duplo concinentiam personabant.
Malleus uero XII. ponderum ad malleum VIIII. et malleus octo ponderum ad
malleum VI ponderum. secundum epitritam proportionem diatessaron consonantia
iungebatur. VIIII. uero ponderum ad VI. et XII. ad VIII. diapente consonantiam
permiscebant. VIIII. uero ad octo. in sesquioctaua proportione resonabant
tonum.

QUIBUS MODIS UARIE PYTHAGORAS PROPORTIONES CONSO
NANTIARUM PERPENDERIT.